

VOTUM

PRO

JACOBO II. sine Regno, Rege,

PRO

LUDOVICO XIV. sine Christianitate, Christianissimo,

SOLUTUM.

Salvete, par Regum impar.

Tu *Ludovice*, æquè *Jacobi*,

Ac Tu *Jacobe*, Fidei defensor.

Papismi propugnatores, uterque suo modo, Optimi.
Salve, Tu *Ludovice*, haud minùs Regibus Oriunde,
Et *Ludovici* XIII. fili,

Quàm Tu *Jacobe*, Principis Cambro-britannici genitor.
Felices uterque!

Tu Matris, Tu Conjugis pudiciâ.

Salvete Ambo, Dei Vices, in terris quodammodo gerentes,
Flagellum unus, Scabellum alter.

Ille, Humani Generis Osor,

Subditorum Terror,

Fortunæ (si Diis placet) in præsens deliciæ.

Hic, humano generi, nè dicam exosus,

Sed (quod pejus est) miserandus.

Tam Subditorum (fuerunt enim subditi!)

Quàm Fortunæ semper ludibrium.

Faxit Deus Opt. Max. ut uterque terrestri prorsùs imperio, pro arbitrio Divinæ Providentiæ, pariter exuti; Tu *Ludovice*, Flagitiorum omnium, Scelerumque plusquam humanorum poenitentiam, serò licet, agens; Et Tu *Jacobe*, inscitæ tuæ justâ motus Verecundiâ, ex omni sorte humanâ, tam Vobis, quàm Terrarum Orbi feliciter, eripiamini. Necnon, ut Regnorum Cœlestium (modò id sperare non nefas esset) compotes fiatis; ubi extra *Nemesis* metum positi (utique nec ipsi diutius metuendi) quasi Nolentes-Volentes æternùm requiescatis!

